

bat omneis, affirmans, mandatum esse Principis, ut è medio tolleretur: simul tribunum militum urgebat, ut acceleraret supplicium. Itaq; suspensus ille fuit, summo cum detrimento Caroli, qui si humanior fuisset, & dicentem placidè audiisset: haud dubiè se, suasq; provincias omnes servasset, præsertim quum per Galliam multæ postea difficultates & incommoda sint exorta, *Phil. Comin. lib. 7. comm. p. 564. 565. 566.* Hoc exemplum forsan irregulare, attamen movet.

ARTICULUS XCVII.

Sanctio de securitate Carnificis.

1. Consuetudo & facinus trucidandorum Carnificum in ipso actu deficientium, neque uno ictu rem peragentium improbatur sub pœna violatæ pacis publicæ: *Wey Leib vnd Gut / sive Leibstraffe / lust. Gobl. in auctar. Bernh. Zieritz. Steph. hâc, Petr. Greg. Tholos. lib. 31. Synt. jur. univ. c. 38. nu. 7. Iodoc. Damhoud. in prax. rer. crim. c. 153. rubr. de carnifice, num. 12. Iacob. Aleman. in Palest. Cons. conf. 9. p. 935. Georg. Schonb. lib. 3. polit. 51. in fin. p. 308. Iohan. Hensl. de execut. leg. th. 50. Barth. Keck. lib. 1. polit. c. 27. num. 301. 302. Reinh. König. in theat. polit. par. 1. c. 1. num. 375. Vent. de Valen. de abbr. lit. lib. 1. c. 13. num. 13. Speckh. cent. 3. class. 13. q. 3. num. 9. notab. 14. Iohan. Georg. Becht. de secur. th. 193.* Constat ex Lubecæ urbis historia uno die quinque lictoribus apud carnificinam à populo obrutis atq; occisis maximum sanè flagitium, & quinque homicidia temerè ac mera ex petulantia vulgi contra justitiam & leges admissa sunt. Quanquam autem vetus opinio atq; usitata est, funestum esse locum, in quo sit lictor, sive carnifex; tamen propterea illum vel odisse, vel occidere non convenit. Est enim justitiæ, imò Dei juxta *Paulum* minister. Quod enim *Cicero* dicit, funestari concionem contagione carnificis, Ethnico more dicit. Christianis longè alia mens est de hoc Magistratus officio atque ministerio, scientibus injustis legem positam esse. De carnificis officio eleganter scribit *Damhoud. d. c. num. 1. 2.* Est executor sententiæ & justitiæ instrumentalis minister, qui tametsi odiosum apud omnes sustineat nomen, quod cruentum, quod tyrannicum, & quasi parum humanum videatur exercere officium, nihil tamen in conscientia peccat, nec coram Deo, nec mundo. Vide *Iohan. Bod. lib. 3. de Republ. c. 8.* ubi probat, officium executoris publici per se non esse inhonestum, etiam hac ratione, quod in gente Israëlitica quivis civium tale officium administraret jussu Dei, & omnes simul gregatim facinorosos lapidarent, & tamen carnifices honestis civibus admiscendos non esse, tradunt allegati *Jcti & politici à Christ. Besol. lib. 1. polit. c. 11. §. 9. concl. 15.* & eos laborare infamia facti affirmat *Reinh. König. in d. theat. polit. tripart. par. 1. c. 1. num. 360.* & carnifices de Tribu Levi esse tradit *Ios. Nold. in tractatu erudito, de statu nobilium, c. 22. num. 92.* & carnificem pro vili & inhonesto habendum esse ait, *c. 16. num. 118.* Apud antiquos Romanos non modò non erat civis Romanus carnifex, sed etiam ne in urbe quidem domicilium ei habere licebat, *Cicero pro Cajo Rabirio.* Et hoc officium vitandum esse ait *Arist.*

Arist.